



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Restituta V. M. 27. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

26 Maii. VITÆ SANCTORVM. 267

lum, & Servator generis humani offerre se conspicuum, hortarique CARPVM, si ita ei videretur, ageret miseros illos præcipites, pro quibus ipse sanguinem suum fudiisset. Sibi quidem tanto prelio assertos in libertatem, certum esse non descerere, & porrigerre manum velle perituris: quin adeò, si necesse foret, non detrectaturum redire ad initium miseriарum, quibus in Cruce moriens finem imposuisset. Plura dici necesse non fuit. Tam mellea verba CARPO bilem abstinerunt: & nimirum hodie quoque animorum æstus & inconsulta odia defervescerent, si in sanguine Christi intingerentur. Ex Dion. Areop. In Patric.

Par est, ut quisque nostrum non minus gratias agat Christo, quam si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus erat, vel ob unum solum tantam exhibere misericordiam; adeò singulos homines pari charitatis mensurâ diligit, quam diligit orbem universum. S. Chrys. in c. 2. ad Galat.

S. RESTITUTA V. M. 27. Maii.

R Omæ nata RESTITUTA, denata Soræ nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & formam, quam passim juventus nobilis deperibat, velut ignem custodiit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa unius thalamum suspirabat, & aliter etiam nuptæ non men refugiebat. Interea invidit Deo sponsam suam, ut solet, orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At RESTITUTA nuper jam boni Angelî aspectu exhilarata, risit rivalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo Soram abitura, nec tamen sine co-

M 2.

mite.

mite. Nam ad Lateranum Angelum invenit, quod
toto itinere latus euntis stipavit, dolentis credi-
cūm urbem aspiceret, quod iter longius non fu-
set. Jam sub ingressum, cūm miraculo prodita es-
set (morbum nescio à quo remoyerat) nobilē
hospitem, nobile hospitium carcer martyrum ex-
cepit, ita Agathio Procos. jubente. Exin scorpio-
nibus cæsa cecinit. VII. dies noctesque sine victu
clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, aspectu
satiata. Denique capite unā cum Cyrillo Episco-
po aliisque truncata, cælum subiit, cūm carcer
custodes, & adeò carnifices miraculis captos et
dem viā nuper jam præmisisset. Ex Ferrar.

*Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis boni
vivit apud eum memoria beneficii semel accepti. Bi-
tus, apud quem Deus vel semel requiem invenerit;
cujus tabernaculo vel horâ unâ requieverit. Gueni-
serm. 3. de Ass.B.M.V.*

S. GERMANUS PARIS. EP.

28.Maii.

GERMANO mors nondum nato, ab ipsâ, quo-
dabomineris, matre; nato ab aviâ propinqua
est. nihilominus inter domestica latrocinia ado-
leuit, veneno priore maternis visceribus, sine no-
xâ fœtûs, diffuso, altero ad aviaë filium delato
æquissimo sine dubio errore, ut, cui Germani ha-
reditas quærebatur, idem paratam innocentie-
stem biberet. GERMANVM contrâ Parisensis mi-
tra expectabat, & in omnes morbos jus, benevo-
lentiâ Numinis maleficia mortalium in ejus glo-
riam vertente. Saliva ejus, vestium lacinia, tra-
men, quod in cubitu pressisset, vim medicam ha-
buere. Hæc alexipharmacæ etiam Reges ambi-
bant.